

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Absalomvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

stem acturus. Nunc latet in aliquo antro, aut alio loco. Quod si quis principio de tuis ceciderit, & rumor sparsus fuerit factam esse cædem Absalomorum, illi ipsi, qui nunc sunt leonibus animosiores, exanimabantur. Sciunt enim universi Israelitæ, patrem tuum virum esse fortissimum, nec non ejus milites. Verum meum consilium est, ut convenient ad te omnes Israelitæ a Dane ad Bersebam, qui futuri sunt arena numerosiores, utque tu ipse inter eos præsens incendas. Tum euini adorti, ubi ubi erit, rore densius invademus, ut neque ipse, neque ejus comitum vel unus evadat. Quod si se in aliquod oppidum reperit, id oppidum universi vel funibus cinctum in flumen ita everriculabimus, ut ne calculus quidem relictus fiat. A. Melius est illud consilium; quam Achitophelis: obtemperabitur tibi:

SENTENTIA.

Impiorum prudeutia bonis pernicioſa eſt, piorum ſalutaris. Impiis favere & conſulere contra piros, impium eſt. Rurſus impios ad piorum ſalutem decipere, piuum eſt, & iſſis etiam impiis utile. Minus enim graves pœnas Deo dabunt, ſi piros non occiderint.

ABSALOMVS. 2 Reg. 18. 19.

ARGUMENTVM.

Absalomus, e prælio elapsus de quercu crinibus pendens, a Joabo necatur. Hujus audita nece David ſeſe afflītat & a Joabo propterea objurgatur.

H 2

Miles



*Miles Joabus, Achimaas, Chusis, Speculator.
David, Quidam.*

Cum persequerer fugientes & dissipatos hostes, Absalomum vidi cæsarie pendente de queru. *J.* Vidisti autem? Cur non eum ad terram deturbatum occidisti? Nam meæ partes fuissent, decem te argenteis nummis & baltheo renunciarri. *M.* Ego vero, si mihi mille nummi ^{a)} in manum annumerentur, non sim manum filio Regis injecturus. Nam audientibus nobis præcepit Rex tibi, Abiscoque & Ettæo, ut adolescenti Absalomo ^{b)} caveretis, nedum ut ego tam perfidiose, tanto cum vitæ meæ periculo facerem, neque enim res tanta Regi ignota esse posset. Verum jam ad eum ventum est: tu ipse vide, quid tibi agendum putas. *J.* Videbis me non ita cunctantem. Morere boni parentis perversa progenies. Accipe hæc tria tela de mea manu, recta in medium pectus. *Vos* mei armigeri, circumfusi ^{c)} eum confidite. Tu præco, ^{d)} confectum bellum est, cane receptui, ut a persequendo revocentur milites. *A.* Visne igitur ut ad Regem currat, eique renunciem, Jovam de ejus hostibus sumfisse supplicium? *J.* Tu vero ne feceris hodie: alias facies: hodie quidein non es jucundum allaturus nuncium, propterea quod Regius Filius

^{a)} Præsentes.

^{b)} Prospiceretis.

^{c)} Circumdantes.

^{d)} Occiso duce tanquam præciso corporis capite, vici sunt hostes.



Filius est mortuus; Tu Chusi, ad renunciandum
Regi, quod vides. C. Libenter, & quidem cur-
sim. A. Quid si ego Chusim cursu consequar?
J. Cur consequaris fili? non est obtenturus evan-
gelium. A. Sed quid si consequar? J. Per me
licet. A. Curro, facile Chusim antevertam.
J. Nos vero hoc Deo hominibusque invisum ca-
daver in hanc vastam voragine in hac sylva de-
trudamus, & lapides insuper cumulate exaggere-
mus, ut tam nefarium facinus memoria ac nomi-
ne loci notetur. Nam talibus sunt digni monu-
mentis, qui mortem ejus machinantur, quoru[m]
beneficio vitam sunt adepti. S. Heus rex, video
hominem huc accurrentem solum. D. e) Si
quidem solus est, boni aliquid portat. S. Video
item quendam alium currentem, etiam solum.
D. Is quoque l[et]atum nuncium affert. S. Ex cursu
priorem conjicere videor Achimaam esse, Sadoci
filium. D. f) Virum bonum nominas, de nun-
cio l[et]ato venit. A. Salve Rex! & simul g) agen-
das Jovae gratias existima, cuius auspicio subacti
sunt, qui in te arma sumperferant. D. Salvusne est
adolescens Absalomus? A. Magnam hominum
turbam vidi, cum me huc mitteret Joabus; cete-
rum quid sit, nescio. D. Recede, consiste isthic.
C. Regem plurima salute & l[et]itia impertio, cu-

H 3

jus

e) Hoc per conjecturam dicit David: siquidem, qui
l[et]a apportant, currere soleat: in quo celeriamus
quisque facilima ceteris solus antecurrit.

f) Boni Bonis libenter l[et]a nunciant.

g) Victoria donum Dei est.



118 DIALOG. SACRORVM

jus Deus hostes omnes hodie ultus est. *D.* Sal-
 vus ne est adolescens Absalomus? *C.* Utinam sic sint
 omnes tui hostes, o Rex, & quotquod tibi malum
 anachinantur. *D.* Fili mi, Absalome, fili mi, fili
 mi, Absalome, utinam ego pro te sim mortuus.
 Absalome fili, fili, heu me miserum; *C.* Luctum
 attuli, non lætitiam: nec solum Regi, qui audito
 interitu filii, se conjectit in cœnaculum portæ, ubi
 in luctu sit, & se afflicet: sed etiam populo uni-
 verso, cuius lætitiam, audita Regis tristitia, in mo-
 morem convertet. Sed video Joabum huc adve-
 nientem: stomachatur. *J.* O lepidum Regem
 & dignum, cuius adhuc vivat filius: ubinam est?
Q. Sursum est. *J.* Quem ego, nisi: sed me
 comprimam, o turpe spectaculum! Itane vere
 David? siccine tuos omnes hodie dedecoras, &
 eorum honestissimam victoriam in foedissimum
 luctum convertis? qui te, tuosque liberos, & uxo-
 res, tum justas, tum ^{h)} concubinas, a crudelissi-
 ma morte vindicaverunt. At non oportet (quod
 tu facis) ita amare inimicos, ut oderis amicos.
 Nunc quidem facile ostendis, te tuos omnes &
 nobiles & ignobiles pro nihilo habere. Nam
 equidem compertum habeo, te ⁱ⁾ unius Absalo-
 mi salutem nostra omnium morte yelle reden-
 ptam. Verum age, prodi, & tuos affare lenite,
 Nam per Deum immortalem, nisi tu prodeas, effi-

ciā
 iūp. mabipit; bivit. bīd. māfīt. jāo. nā. 301
 h) Erant concubinæ legitimæ uxores illæ quidem, sed
 minoris dignitatis, quam cæteræ.

i) Cupere, ut nos omnes potius mortui essemus, quam
 Absalomus.



D. Sal-
sic sim-
nalum
ni, fil-
ortuus.
uctum
audito-
tæ, ub-
lo uni-
in mo-
adve-
Regem
um est:
ed mi-
e ven-
ras, &
sum
& uxo:
delissi-
(quod
unicos-
nnes &
Nam
Absalo-
redem-
lenite-
as, effi-
ciam
cm, sed
s, quam

ciām, ut ante noctem omnes ad unum a te defi-
cient: quo gravius malum, nullum unquam in
vita tibi evenit.

SENTENTIA.

*Honora parentes tuos, si vis vivere diu. Is in-
dignus est vita, qui in autorem vitæ suæ ingratu-
est. Dignus est infami morte, qui bonum malo
pensat. Ardentem amorem ne summa quidem in-
juria extinguit.*

BERZELAEVS. 2 Reg. 19.

ARGUMENTVM.

Berzelæum pro ejus in se meritis vult
David in aulam ducere. Sed illo propter
senectam recusante, abducit ejus loco
Chamaamum.

Berzelæus, David.

Salve, nobis tandem reddite Israelitarum Rex,
D. O salve multum Berzelæ, homo de me
multum bene merite. Trajicies tu mecum Jor-
danem: ego te apud me alam Hierosolymis.
B. At quot annos natus, ut cum Rege Hierosoly-
mam ascendam? Ago nunc octogesimum an-
num: a) poterone bonum a malo discernere?
poterone cibo & potionе delectari? aut fidici-
num, fidicinariumve cantus audire? Liceat mihi
tecum paululum trans Jordanem progresso (cur
enim tanto me cumules beneficio?) liceat, in-

H 4

quam

a) Senectus & judicio deficitur, & voluptatum minus
capax est.

